

Congregationis, in quibus dicta opera pia exercentur, cum aliis Catholicis personis accedere libere, et licite possint, et valeant; et similiter quod quando Divinum verbum in Claustis Monasteriorum, et Regularium locorum Congregationis hujusmodi proponitur, vel per aliam quaecumque causam, tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint, et egredi per portam Ecclesiae, perpetuo concedimus, ut dictae mulieres, una cum aliis saecularibus personis, possint ingredi portam Claustri Monasteriorum locorum Regularium Congregationis hujusmodi (dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur e Monasterio) sicque volumus pariter, et indulgemus. Decernentes, etc., sublata, etc., irritum etc., non obstantibus etc.

Romae 16 Julii 1570

(25. Circa haec autem Barbosa part. 3, de offic. et potest. Episcop. allegat. 102, num. 49, refert Decretum Sacrae Congregationis Rituum tenoris sequentis, videlicet: « Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Archidiaconus Oriolensis exponit DD. VV. Illustrissimis, et Reverendissimis qualiter in Civitate Oriolensi usu, seu forsitan etiam consuetudine immemorabili introductum est in aliquibus Monasteriis Regularium, scientibus, et non contradicentibus Episcopis pro tempore, ut annuatim faciant suas Processiones tam solemnes Rogationum, Candelarum, Palmarum, de Sanctissimo Sacramento, ac alias, quam privatas de Cruce tempore Passionis, de Rosario, de Carmine, de Cingulo Sancti Francisci, de Corrigia Sancti Augustini, cum similibus, singulis mensibus per Claustra dictorum Monasteriorum comitantibus undique devotionis, et Religionis causa utriusque sexus fidelibus; quod cum videatur contrarium Constitutionibus San. Mem. S. Pii V, et Gregorii XIII, quibus praeceludatur aditus mulieribus accedendi ad Claustra Regularium, ideo Orator supplicat declarari, an hoc jure liceat? Sac. Congr. Rit. respondit non licere mulieribus comitari Processiones per Claustra Monasteriorum Regularium, nisi adsit in hoc expressa licentia Sedis Apostolicae. Die 30 Septembris 1628.

« Fr. Fulvius Secret. »

(26. At vero cum talis petitio exhibitae Sacrae Congregationi Rituum nullum verbum faciat de dicta declaratione, ac nova concessione facta mulieribus a S. Pio V, in d. Constitutione incip. *Decet Romanum Pontificem*, potest censeri, Decretum illud vel fuisse subreptitium, vel in observantiam deductum non fuisse, cum saltem quantum ad ingressum tempore Processionum sit contraria praxis communis, et praesentim Urbis Romae, (1) cui nullum adversari constat; Donat. tom. 1, p. 2, tract. 4, quaest. 19. Matthaeucci *Officialis quoad Conventus* num. 29. Lezana loco cit. num. 12. Rodriguez tom. 1, qu. 48, art. 3, et in exposit. Motus proprii Pii V. Sanchez lib.

(1) Haec praxis Romae penitus est sublata.

6, in Decalog. cap. 17, num. 22. Coriolan de casibus reservatis part. 2, caus. 3, num. 33. Lantusca verb. *Clastrum* num. 3, et alii passim. (27. Quia tamen tale privilegium quoad ingressum mulierum in Conventus Religiosorum, non videtur ubique in usu, nisi pro tempore, quo Processiones fiunt, in his erit laudabilis usus retinendus, et abusus vitandus. Ita laudati Doctores et alii. Nunc autem quoad supradicta est omnino attendenda dicta novissima dispositio Benedicti XIV. (28. Superior nequit processionem extraordinariam instituire ad solas preces Mulierum nobilium, et divitum, ut ipsae possint Conventum ingredi ad satisfaciendum suae curiositati; et si hoc faciat, peccat mortaliter, et incurrit poenas taxatas; Non enim potest prudenter praesumi, quod S. Pius voluerit suam concessionem ampliare ad similes Processiones pro sola satisfacienda mulierum curiositate institutas, sed solummodo ad Processiones ex devotione, et juxta Ecclesiasticos ritus fieri consuetas; Sorbo verb. *Ingredi Monasteria* vers., circa quem, Matthaeucci loco citat. numer. 20. Fr. Emmanuel. in explicatione Bullae cruciatæ fol. 511. Rodericus, Joannes de la Crux, Donatus, et alii. (29. Nec potest Superior, sive alius Religiosus mulieres introducere, quando murus Clausurae materialis ex accidenti est diratus, quia semper remanent fundamenta, quae sunt limites Clausurae jam positae, quam non potest Superior localis variare, et loca Monasterii reputantur, ut prius sic cum Ameno num. 18 Matthaeucci loco cit. num. 19. et alii. Et de facto Sacra Congregatio in similibus casibus consuevit semper declarare transgressores incursos in poenas taxatas.

(30. Nomine Religiosorum introducentium, vel admittentium mulieres in Clausuram Conventus veniunt omnes Religiosi active influentes in talem ingressum Mulierum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, janua aperiens, eas recipientes, concedentes, et auctoritative, sive ratione sui officii permittentes ut intrent; Sorbo verb. *Ingredi Monasteria*, vers. *est etiam notandum*; Matthaeuc. loco cit. num. 25 cum aliis, et deducitur clare ex verbis S. Pii V, in cit. Constit. incip. *Regularium personarum* in fine; ibi « Introducere, admittere praesumant, » et ex verbis Gregorii XIII, in cit. Constit. incip. *Ubi gratia* § in fine, ibi: « Ingredi faciant, vel permittant. » (31. Religiosus etiam, qui nec introduxit, nec admisit, nec consuluit, nec invitavit, nec janua aperuit, nec recepit, nec auctoritative, neque ratione officii sui permisit Mulierem intrare, aut hujusmodi, sed eam jam introductam ex urbanitate salutatur, et ex decentia status illius per Conventum comitatur, incurrit poenas taxatas contra admittentes, recipientes, aut introducentes, si ipse sit causa efficacis, quod femina diutius detineatur in Conventu. (32. Si tamen comitaretur, ut ea citius e Conventu egrederetur, et per rectam, et brevioram viam ad egressumurgeret, nullam poenam incurreret, Matthaeucci

loc. cit. n. 26, cum Ameno num. 31 et aliis.

(33. Quamvis viris saecularibus non sit absolute prohibitus ingressus Conventus Regularium, nec absolute prohibita in ipsis commoratio; prohibetur tamen aliquibus Regularibus eos recipere, et admittere in certis temporibus, et circumstantiis, ut signanter pro Fratribus Minoribus de Observantia editum fuit Decretum a Sacra Congregat. Episcop. et Regul. 1. Decemb. 1679. cujus dispositio reperitur confirmata a san. mem. Innocent. XI. die 20 Septem. 1685. Director. trium Ordinum Const. 8. prout sequitur: *Emanavit alias*, et infra: « Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio, etc. Religiosae quieti, et tranquillitati Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia benigne consulens, injungendum censuit, prout praesentis decreti tenore injungit omnibus, et singulis dicti Ordinis Superioribus Provincialibus, Localibus, eorumque subditis, sub poena privationis officiorum Ordinis immediate incurrenda, ne ullo unquam tempore, quovis praetextu, vel quaesito colore permittant, aut consentiant saeculares quoscumque ingredi septa suorum Conventuum, deferendo per silvas, hortos et prata sclopos ad venandum, sive alia armorum genera, vel illa apud Fratres, tam Superiores, quam subditos deponere, pariterque ludere quomodolibet per Claustra, aliaque loca publica, vel privata ipsorum Conventuum; et convivere ac pernoctare in ei ultra triduum tantum pie hospitalitatis titulo; et sic servari mandat: non obstantibus, etc., decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari; non obstantibus, etc. » (34. Sub hac prohibitione comprehenduntur etiam Clerici, nisi sint vita exemplares, Eadem Sac. Congr. 10 Maii 1680. praecisissimis verbis; « Sac. Congr., etc. Referente Eminentissimo Casante, censuit, suprascriptam prohibitionem extendendam esse etiam ad Clericos, exceptis tamen Clericis, qui exemplarem vitam ducunt. » (35. A supradicta tamen prohibitionem excipiuntur Syndici Apostolici Conventuum praefatorum Fratrum, ut eadem Sac. Congreg. respondit ad sequens dubium: « An scilicet dicti Syndici comprehendantur in Decreto emanato die 1. Decembris 1679. Sacra Congregatio, etc., audito Patre Ministro Generali Ordinis, et attentis narratis, censuit, ac declaravit praefatos Syndicos Apostolicos Conventuum ejusdem Ordinis, non comprehendendi in enunciato Decreto.

« Romae 4. Decembris 1699.

« G. Cardinalis Carpineus. »

Joseph Emygdus Ferrus Pro-Secretarius.

(36. Super Clausura Monasteriorum quorumcumque Virorum Regularium attendenda est novissima Summi Pontificis Benedicti XIV. Constitutio incip. *Regularis disciplina*,

in qua inter alia confirmat omnes Constitutiones Apostolicas et Decreta Concilii Tridentini quoad dictam Clausuram sub iisdem poenis ibi inflictis. Et deinde revocat quaecumque Indulta, et Privilegia admittendi feminas intra Clausuram Conventuum quaecumque de causa, etiam devotionis, associandi Processiones, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum. Prohibetque quibuscumque etiam Cardinalibus, sive singulis sive eorundem Cardinal. Congreg., ne facultates, et licentias ingrediendi Clausuram Conventuum Religiosorum feminis ullo modo concedant, et concessas omnino invalidas declarat; ac decernit quemlibet ipsorum, et aliorum quorumcumque, etiam speciali mentione dignorum, quaecumque facultate hujusmodi temere uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione poenas, et Ecclesiasticas Censuras incurrere, et incursum esse, a quibus praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit. Caeterum per hanc Constitutionem non intendit derogatum esse iis concessionibus, quae ad favorem quarumcumque Nobilium foeminarum, ex eo quod sive eorundem majores, ac pro tempore existentes de familia fuerint et habeantur Fundatores, vel insignes Benefactores illius Monasterii, intra cujus Claustra, vel septa foeminas etiam de familia ingredi, vel concessum, vel cautum esse sibi voluerunt, et de concessione hujusmodi confirmationem ab apostolica Sede obtinuerunt; sive foeminae hujusmodi sint consanguineae, et affines eorum, qui sunt Domini in Temporalibus locorum, in quibus Monasteria sita reperiuntur, et quaecumque legitima tituli, vel consuetudinis causa, et occasione ingressu hujusmodi de praesenti gaudent, factae, et impertitae fuerint; dummodo concessionem hujusmodi per Apostolicas Literas in forma Brevis, vel sub plumbo expeditas dumtaxat, et non aliter omnino factas, et impertitas fuisse, prius Ordinariis locorum Antistitibus, vel Praesulibus per legitima, et authentica documenta constare facerent; et dummodo, nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi, cenandique, nec per ambulacra, cubicula, cenacula, aliaque loca, et officinas discurrendi causa; sed ad Ecclesiam accedendi, Sacrosanctum Missae Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia, et opera exercendi studio ingrediantur; et dummodo de earum adventu, et ingressu, interdiu, et opportune faciendo, Superiores pro tempore existentes prius certiores fiant, ad hoc ut absque Fratrum incommodo, et offensione, recto tramite ad Ecclesiam pergatur, et alia de jure servanda serventur.

Circa clausuram multa erudite ac prudenter animadvertit saepe laudatus Episcopus Joseph M. Maraviglia in suis Legibus Prudentiae Episcopalis, lege 241. et seqq. quem consule.

Hic ad rem subnectuntur sequentia Decreta ejusdem Sac. Congreg. super Disciplina Regulari deputata.

DECRETUM.

(37. Quo disposita, atque sancita a Vice Commissario Generali Minor. Observ. Reformat. S. Francisci pro Conventibus, Recessus, seu Recollectionis nuncupati confirmantur.

Sacra Congregatio super Disciplina Regulari expenso tenore Epistolæ circularis Vice Commissarii Generalis Min. Observantium Reformatorum S. Francisci datæ die 6 Januarii 1707, in qua sub num. 6, ubi de Conventione Recessus, seu Recollectionis agitur, hæc habetur: *E in detto Convento, o Conventi, ne quali dovrà attendersi al solo spirito, divozione, ed orazione, non vi potrà essere studio, ne Lettori, o altro Religioso esente da qualunque atto commune.* Et mature perpensis omnibus, et singulis deductis tam a dicto Vice Commissario Generali, et Procuratore Generali Strictioris Observantiæ Sancti Francisci ex una, quam a Patribus habitantibus in Conventibus Recessus Provinciarum Reformatorum Marchiæ, et Bononiæ Patribus ex altera, pro stabilitate Conventuum Recessus, sive Recollectionis cum peculiaribus legibus rescripsit: Executioni mandetur in omnibus Provinciis prædicta Epistola Circularis Vice Commissarii Generalis sub die nona Januarii 1707. Et tam Superiores Generales, quam Provinciales omnino provideant Conventus Recollectionis, alias Sacra Congregatio providebit. Dat. Romæ hac die 24 Martii 1708.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM.

(38. De instituendis in unaquaque Provincia Strictioris Observantiæ Sancti Francisci Conventibus spiritualis recess. pro Religiosis ferventioribus ad præscriptum Epistolæ Circularis P. a Monte Bufo Vice Commissarii, alias a Sacra Congregatione confirmatæ.

Cum ad aures Sacræ Congregationis super Disciplina Regulari pervenerit, et multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum: in multis Provinciis strictioris Observantiæ S. Francisci per Italiam, et Insulas adjacentes Epistolam Circularem Vice Commissarii Generalis a Monte Bufo, datam 9 Januarii 1707, et ab hac Sacra Congregatione confirmatam 24 Martii 1708, plenum non sortiri effectum quoad demandatos spiritualis Recessus Conventus: Volens propterea Sacra Congregatio, ne talis inobservantia in Regulari Disciplina detrimentum diutius protrahatur, opportune, et efficaciter providere, re mature discussa, auditisque pluries, tum voce, tum scripto Superioribus Ordinibus, referente Eminentissimo Fabrono, rescripsit. Pro omnimoda observantia præfata Epistolæ Circularis Vice-Commissarii Generalis a Monte Bufo confirmatæ, ut supra, a Sacra Congregatione, de instituendis in unaquaque Provincia supradictis Conventibus spiritualis Recessus pro Religiosis ferventioribus, et non concedatur licentia admittendi ad habitum, et professionem, nisi in

Provinciis in quibus Sacræ Congregationi constiterit, præfatos Conventus reipsa institutos esse, ac sedulo, et cum effectu a Superioribus Generalibus detur notula, ubi sint respective instituti dicti Conventus. Romæ 10. Decembris 1714.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM

(39. Consimile præcedenti pro Minoribus Observantibus Sancti Francisci.

Cum ad aures Sacræ Congregationis super Disciplina Regulari pervenerit, et multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum in multis Provinciis Minorum de Observantia Sancti Francisci per Italiam, et Insulas adjacentes Breve San. mem. Innocentii XI. quod incipit. *Militantis Ecclesiæ*, etc., editum die 22. Novembris 1679. plenum non sortiri effectum, quoad demandatos Recollectionum Conventus; Volens propterea eadem Sacra Congregatio, ne talis inobservantia in Regulari Disciplina detrimentum diutius protrahatur, opportune, et efficaciter providere, re mature discussa, auditisque pluries, tum voce, tum scriptis Superioribus Ordinibus, referente Eminentissimo Fabrono, censuit: Supersederi pro nunc in expeditione novi Brevis, sed omnino servandam esse dispositionem Brevis San. mem. Innocentii XI. 22. Novembris 1679. de non concedenda licentia admittendi ad habitum, et ad Professionem in illis Provinciis, in quibus plene non constiterit Sacræ Congregationi, supradictos Recollectionum Conventus institutos fuisse juxta formam in eodem Brevis præscriptam. Et interim detur a Superioribus Generalibus nota, ubi respective sunt Recollectionum Conventus. Romæ 10. Decembris 1714.

J. R. Card. Imperialis præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM

(40. Quo officium Prieratus Conventus S. Marcelli de Urbe Ordinis Servorum B. M. V. declaratur incompatible cum cura Animarum ejusdem Ecclesiæ, ac præterea statuitur ut prædicta duo munia, tamquam incompatibilia in omnibus Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, et Instituti seorsim, distinctisque personis demandentur.

Mature discussa in Sacra Congregatione super Disciplina Regulari, habita sub die 28. Maii currentis Anni 1715. Causa Incompatibilitatis Prioratus Conventus Sancti Marcelli de Urbe Ordinis Servorum B. M. V. et Curæ Animarum ejusdem Ecclesiæ, unitim in Persona Patris Hieronymi Allegri, Eminentissimi Patres, auditis Partibus, unanimiter censuerunt, prædicta duo munia esse inter se incompatibilia, et insuper nominationem præfati Patris Allegri in Priorem dicti Conventus esse nullam: Mandantes insimul, sanctissimo Domino Nostro approbante, ut enunciata duo Officia seorsim pro-

videantur in omnibus et singulis Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, aut Instituti, quibus Cura Animarum incumbit, aut incumbere contigerit. Et ita perpetuo, et inviolabiliter observetur sub penis arbitrio ejusdem Sacræ Congregationis.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

CRAPULA.

Vide verb. CLERICUS, art. 5, a num. 15, et 23.

CRIMEN,

PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIM., art. 5, num. 79, ad 90.

CRUX.

SUMMARIUM.

1. Crux Christi a S. Helena Constantini Magni Imperatoris Matre fuit adinventæ. — 2. Crux Christi inter illas Latronum miraculo fuit cognita, ad num. 5. — 4. Crux suæ præcisionis damnum non sentit, sed crescit, et multiplicatur. — 5. Crucis Domini Titulus quando Romæ fuerit inventus. — 6. Episcopo ingredienti aliquam Civitatem, vel Ecclesiam Parochialem, Crux deosculanda a quo porrigi debeat. — 7. In Processionibus deferenda est Crux cum Imagine Crucifixi terga vertente Clero, seu populo sequenti. — 8. Crux in Processionibus deferenda est a Regularibus cum velo pendente, seu pallio. — 9. Cappucini in Processionibus possunt erigere, seu deferre propriam Crucem. — 10. Cappucini post sibi concessam propriæ Crucis erectionem, debent in Processionibus locum cedere Regularibus anterioribus. — 11. Reformati, Discalceati, et Recollecti S. Francisci in Processionibus incedunt sub Cruce Minorum de Observantia. — 12. Crux in Processionibus deferri debet a Religiosis Laicis, seu Conversis, non autem a Clericis Professis. — 13. In funeralibus unica tantum Crux deferitur illius Ecclesiæ, in qua defunctus sepeliri debet. — 14. Id tamen intelligendum est, dummodo Processioni funerali non interveniat Capitulum Cathedralis, quia tunc omnes invitati sub unica illius Cruce ad Ecclesiam tumultantem incedere debent. — 15. Et idem est dicendum etiam, quando intervenit Capitulum Collegiatæ, ad n. 16. — 17. Si autem favore regularium concurrat immemorabilis consuetudo circa delationem propriæ Crucis, est servanda. — 18. Quid circa id statutum sit observandum a Clero Urbis. — 19. Quidve observandum a Confraternit. ejusdem Urbis. — 20. Confraternitates generatim nequeunt in Processionibus propriam erigere Crucem. — 21. Cruces Altarium, et Processionum non sunt benedicendæ præcepto, et quilibet Sacerdos eas private benedicere potest. — 22. In Altari etiamsi sit expositum Venerabile, sem-

(1. Crux Christi a Sancta Helena Constantini Magni Imperatoris Matre fuit adinventæ. Ipsa enim in somnis admonita, conquiritur, et adorandæ Crucis studio Jerosolymam petiit; ibique, ut scribit S. Ambrosius in oratione de obitu Theodosii, aperit humum, decutit pulverem, tria patibula confusa

(1) Vol. IX. Symbolorum, quas cl. Gorius Florentiæ edidit p. 65 seqq., exstat Francisci Antonii

FERRAR. II.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. De excommunicatione quam indiscriminatim incurrere ait Auctor num. 5. et plur. seq. Fœminas ingredientes clausuram Conventuum Virorum, tum Religiosos ipsas introducentes, vidè quid sentiant Pirhing. in Decretal. lib. 3, tit. 35, § 6, num. 45. Engell., in Collegio Jur. Canon. lib. 3, tit. 35, num. 13. Schmalzgrueber Jur. Eccles. univers. lib. 3, part. 4, tit. 35, § 4, num. 131, Suar. de Censur. disp. 22, sect. 6, n. 10. et plur. seq.

per requiritur Crux cum Imagine Crucifixi. — 23. In fine Missæ ad quodcumque Altare celebratæ, sit reverentia Cruci infra gradus, capite semper aperto. — 24. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super Oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis, et digitis conjunctis. — 25. Signum, quod fit cum Patena a fronte ad pectus, fit integre cum signo Crucis. — 26. Manus Sacerdotis ad Hanc igitur oblationem debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis supra manus, non vero infra manus. — 27. Cruces in Missa super Calicem, et Hostiam quando efformandæ. — 28. Tolerari non debet, quod in locis publicis, et sordidis stent depictæ diversæ Cruces, ac Sanctorum Imagines in derisionem Christianæ Religionis. — 29. Cruces, et nova insignia præter solitum in Processionibus deferre non licet. — 30. Crucem propriam in Processionibus erigere non possunt Presbyteri alicujus Ecclesiæ intra limites propriæ Parochiæ, sed debent incedere sub Cruce Parochiæ. — 31. Archiepiscopi possunt ante se deferre Crucem etiam per loca exempta suarum Diocesium; Et idem possunt Episcopi habentes privilegium deferendi ante se Crucem, ad num. 34. — 35. Alia ad rem. Remissive. — 36. Affertur origo Crucis Caravacensis. — 37. De pluralitate Crucium in funeralibus. — 38. An Sacerdos debeat omittere Crucis osculum in Missis de Requiem. — 39. ad 41. De Crucis loco in Exsequiis Defunctorum. — 42. Quomodo a Summo Pontifice ad Archiepiscopos mos ante se deferendi Crucem dimanavit. — 45. ad 48. De unitate vel pluralitate Crucium. — 49. Signo Crucis Horas Canonicas auspicari solemus. — 50. Quanta virtus et antiquitas hujus signi. — 51. De Cruce pectorali. — 52. 53. De Episcoporum usu Crucem deferendi. — 54. 55. De R. Pontificis usu. — 56. De Crucis prælatione. — 57. De Ligno S. Crucis, aliisque Dom. Passionis Instrumentis in processionibus deferendis.

reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat; sicque Divinis monita visionibus Beatissimum Crucis lignum Sanctissima Imperatrix invenit; Nicephorus lib. 8, cap. 29, Socrates lib. 1, cap. 11. Theodoretus lib. 1, cap. 18, et alii cum Baronio tom. 3, anno 326 (1).

Zachariæ de Inventione S. Crucis dissertatio. (Edit. Barbiell.)